

D. F. F. Q. S.

DISSERTATIONIS,
De

DIVERSIS

PHILOSOPHOR. METHODIS

In

DEMONSTRANDA

EXISTENTIA DEI,

PARS PRIOR.

Quam,

*Cum consensu Amplissime Facultatis Philo-
sophicae in Illustri Academ. Aboënsi,*

PRÆSIDE

VIRO MAX. REVER. atq; AMPLISS. DOMINO

Mag. JOHANN E
HARTMAN,

*Phil. Theor. Profess. Reg. & Ord. Facult. Phil.
h. t. Decano Spectabili,*

Ad publ. bonorum examen
modeste defert

ISAACUS PELDAN,

O. Rothn.

In Audit. Max. ad diem D. V. 14. Dec.
1728. Horis ante merid. solitis

ABOË, Impr. R. A. Typ. Eric Flodström.

Palms N. N. e. Mathesius.

S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO,
*PERILLI&STR*I ac *GENEROSISSIMO*
BARONI ac DOMINO,
Dn. REINHOLDO
WILHELMO
von **ESSEN,**
GENERALI MAJORI;
Nec non
Provinciarum Ostrobothnicæ &
Cajanaburgensis
GUBERNATORI
Excellentissimo,
MÆCENATI MAGNO

C*um mea musa leves tentat properare la-*
bores,
Ad limen sacrum, Vir Generose Tuum
Inter hyperboreos Celsus, qui, jura curuli
Reddit, & injustos pellis ab orbe dolos:

350

Mox stupet, & damnat nostrum juveniliter
ausum:

Omne decernens tristia fata mihi.

Sed rapidas inter dubius cum fluctuor undas,
Attonitam mentem gratior aura levat:

Quam facilis semper mihi Bothnica rura ce-
lenti,

Heros, mille modis exhibuisti satis.

Castalidum hinc donum, Macenas, suscipe blanda,
de,

Cui Themis & Mavors munera magna fe-
runt.

Primos hos fructus ne spernas queso clientis,
Qui Tibi corde pio debita vota dicit.

Perillustris ac Generosissimi

Nominis Tui

Servus humillimus

Isaacus Peldan.

Admod. Rever. atq; Præclar. Domino,
Dn. ANDRÆ MENNANDRO
Præposito & Pastori Ecclesiarum, quæ in
Ulmola *Deo colliguntur gravissimo,*
Patruï loco multis nominibus
colendo.

Admod. Rever. atq; Præclar. Domino,
Mag. NICOLAO MATHESIO,
Pastori in Pyhäjoki vigilantissimo, & adja-
centis districtus Præposito gravissimo,
fautori & benefactori semper
devenerando

Clarissimo Domino,
Dn. GABRIELI PELDAN,
Rectori Scholæ Trivialis Wasensis maxime
industrio, Fratri suo carissimo.
Salutem &

U *Trimitiis hisce studiorum meorum,*
am in Vos publice testarer observan-
Frater exoptatissimi, cum calidissimis pro-
cras esse

Præclariss. Clariss. Doctissimorumq;
Observan
A. &

Admod. Rever. atq; Praclar. Domino,
Mag. ERICO FLEEGE,
*Pastori in Rimitto longe dignissimo, &
adpositi districtus Praeposito gravissimo,
ut nutritio propensissimo, ita fautori
certissimo.*

Admod. Rever. atq; Praclar. Domino,
Mag. ANDREÆ KIEMMER,
*Pastori G. Carlebyensium vigilantissimo,
Praeceptorum olim fidelissimo, jam vero
fautori quovis honore prose-
quendo.*

Perquam Rever. & Doctissimo Domino,
Dn. ABRAHAMO SADENIO,
*Pastori in Gottamo non ita pridem consti-
tuto, fautori honorando.*
prosperitatem !

*Lucē a Vestris Nominibus, faenerarer & me-
tiam, non potui non Patroni, Fautores &
perenni vestra incolumitate votis, eas sa-*

Nominum Vestrorum
issimus
Resp.

Den Åhreborne och Högwälsachtade
HERREN

Råd-och Handels Mannen i Christina

Herr HANS BERGH,

Min Gunstige Wälgynnare.



Hr Ynnest Gynnare mig månd förs
plichtad giora

Ut skrifwa Eder till mitt ringa snilles
Kram

Det jag och ändelig tänckt i ljuset till at
föra;

Fäst hwad omoget är, ett borde wisas
fram.

Tag detta wänligt up; Låt Gunstigt hos
Ehr gålla,

Fäst jag ett seglar fram med skepp, som
lastadt är

Med skatt- och dyrbart godz; Hwad
Pactols rika Källa

Kan Kasta från sig, det af mig ett wäns
tas lär.

Et tacksammt sinne är fäst ofta mer än
ständer,

Hos mången, som af Gud har fådt sin
delta lott.

Et

Et tack samt sinne jag och Eder offra täncker,
Hvars Hjelp benägna Hand mig giordt
har mycket godt.
Tack därför Gunstig Wän. Jag sluter
dese rader,
Med önskan til den Gud, som öfwer sjö
och land
Är Hæsthand; at han gör Ehr med wäl
trefnad glader!
Mit namn skrif up hoos Ehr i Berg och
ett i sand.

Högwäldachtade
Herr Råd = och Handels Mans

Hörsam = skyldigste Dienare

ISAAC PELDAN.

Viri Jovenis,
Dn. ISACI PELDAN,
Fratris sui Germani,
Disputationi Philosophicæ,
De

DIVERSIS PHILOSOPHORUM METHODIBUS
IN DEMONSTRANDA EXISTENTIA DEI.
Hoc Schediasma adjecit:

Mentibus est nostris vis indita conscia
Summi
Numinis, irradians interiora face,
Igni non fatuo sua par qua lumina spargit,
Ortus sed primi portio parva sui:
Quam juvat argute conversum mentis acumen
In quodvis summi Numinis artis opus;
Quidquid enim tellus cælumq; mirabile signant
Aferit hæc dubiis testibus esse DEUM.
Hoc latuisse verum vetuit solertia scriptis
Sophorum variis ingeniosa patens,
Qua vigilem voluisse diu Te Frater Amante
Hac docet ingenii pulchra propago Tui.
Annuat ingenuis studiis, Tibi summus ab alto,
Larga, discernens premia lauta, manu!

gratulabundus
ISRAEL PELDAN,
Lect. Sch. Cathed.



I. N. J.

PROOEMIUM.

§. I.



deo naturá

ducimur ad agno-
scendum, quod
DEUS sit, ut teste

Cicerone a) *nulla sit natio tam bar-
bara, nulla gens tam effera, cui non
insideat hæc persuasio, DEum esse ;
vel quod non aliqua cultus Deorum
symbola seu signa erigat, sive in ma-
ri vivat, sive in continente, sive ex-
tra domos vegetur, sive urbes inco-
lat, ut loquitur Maximus Tyrius
philosophus Platonicus b).* Quocir-



ca

ca recte Mornæus : Percurre, inquit, orbem, ab ortu ad occasum, a septentrione ad austrum, perlustrante quotquot accesserunt secula, quotquot vigerunt regna: ipsa demum scrutare siue lustra siue mapalia, ubicunq; homines inveneris, ibi continuo religionem & Numinis cultum, ibi sacrorum ritus, preces deniq; & sacrificia reperiēs, diversa quidem hæc & confusa, at in eo saltem congruentia: Quod DEUS est c). Annon de Ægyptiis relatum legimus, quod bovem, quod herbas & alias creaturas adoraverint ?

- - Quis nescit qualia demens Ægyptus portenta edat? Crocodilon adorat? ut habet princeps Satyricorum Juvenalis d). De Chaldeis & Persis habemus memoriæ proditum, quod ignem religiose coluerint. De Moluccis insulis, quod solem & lunam Deos colant; illique imperium dei, tanquam mari, huic imperium

noctis, tanquam foeminae adscri-
 bant. *Phœnices* adorabant solem,
 neq; illi tantum, verum & alii po-
 puli, teste Cicerone e). *Moabita*
 inserviere idolo (*Chamorum* vel
Priapo, cui Rex Moabitorum pri-
 mogenitum immolavit f). *Indi o-*
rientales in Cambaja vaccae genua
 flectere, aliiq; *Indiae* populi alia de-
 terrimi nominis & aspectus ido-
 la adorare ostenduntur g). Ut de
 veteribus Gallis, Gothis, Svecis,
 Fennis, Lappis, Genteq; quondam
 Americanorum ignota, aliisq; nil
 jam dicam. Quis nostrum nescit
 hic atq; illic *Neptuno* navigantium
 oblatas esse preces, ne mare tumul-
 tuetur, *Eolo* ne ventorum inco-
 lentia turbas cieat, *Conso* ne confi-
 liorum præcipitet congressus & sic
 porro. Quem latet *Cereri*, *Vulca-*

no, Junoni, Veneri, Marti, Bellona, Mercurio, Saturno, Diana, Apollini, Minervæ, Vestæ, Baccho vel Libero, Castori, Polluci, ceterisque; qui a Poëtis, aliisque recensentur Dii innumeri, cultum præstitum esse divinum. Ut jam præteream quæ apud sacros & profanos scriptores domi forisque leguntur de Deorum, Deorumque, exstructis ædificiis, lucis, arcibus, delubris, templis, simulacris, altaribus, itemque; festis & aliis solennitatibus magna cum pompa & fervore a Gentibus celebratis h). Ex quibus omnibus colligi potest, quod etiamsi ignoraverint, qualem DEUM habere deceat, tamen habendum sciverint i). atque ita ignotum in Idolis atque; altaribus cultum esse DEUM k).

a) Lib. I. de Nat. Deorum.

b) Diff. 38.

c) De

- c) *De verit. Christ. Relig. Cap. I. p. m. 8.*
 d) *Satyr. XV.* e) *Lib III. de Nat. Deor.*
 f) *2 Reg. III. 27.* g) *Ap. Dilherr. in Schol. Propb. p. 468.* h) *Conf. prater Scripturas Woffium de Idol. Gentil. Mornæum de verit. relig. Christ. Seldenum de Diis Syriis. Phanncrum in Syst. Theol. Gent. item Schoeff. Ups. Ant. Laccenii Antiq. Werælij Herwar Saga. Rudb. Atlant. &c. &c.*
 i) *Cicero de Leg. cap. III.* k) *Conf. Act. XVII. 23. queq; Rudrauffius in Instit. Metaph. part. Spec. Cap. II. Memb. I. p. 661. &c. Wal. Ern. Loesch. Præn. 1. p. 2. &c. Grapius Theol. recen. Controv. Qu. 6. p. m. 26. &c. aliq; non tantum pro adstruenda hac Thesi, sed & pro Anti-hesi destruenda adduxerunt argumenta solidissima.*

§. II.

Neque tamen dissimulare possumus, aliquos tam antiquioribus temporibus, quam recentiori ætate esse deprehensos, qui *Deum esse*

negarunt; vel quod ex pravo affectu & pruritu novitatis, perversoque famæ studio, ingenium petulanter ostentare voluerint; vel quod ex affectata malitia, quodam quasi furore mentis rapti, eo dementiæ processerint, ut sensum Divini Numinis sive sufflaminare, sive extirpare plane, non sine ingenti conatu visi sint; vel quod ex justo Dei judicio in sensum reprobum dati, sub statu hoc accidentario atque præternaturali, propter antegressam horum talium pervicaciam in tantæ impietatis sive paroxysmum, sive baratrum inciderint.

Adi Don. Inst. Pneum. Cap. I. §. 62-64.

*Spizelii Fel. Lit. Comm. I. p. 94. Gra-
pii Theol. Rec. controv. Qu. 6. p. m. 31.*

§. III.

Qui licet non sint digni,
qui inter homines, nedum in-
ter

ter sapientes numerentur; hinc cum
sententia Philosophorum prioris temporis
de providentia Dei consensissent, nec ul-
la esset dubitatio, quin mundus a Deo,
& ratione esset instructus, & ratione
regeretur. Et primus omnium Protagoras
extitisset temporibus Socratis, qui sibi dice-
ret non liquere, an esset Divinitas nec
ne: hæc disputatio ejus adeo impia &
contra veritatem & religionem judicata
est; ut ipsum Athenienses expulerint su-
is finibus, & libros ejus in concione, qui-
bus hæc continebantur, exusserint; ceu
Lactantius testis est a). Et quovis igi-
 tur poenarū potius quam argumen-
 torum genere sint refellendi; Cre-
 do, inquit Rudraufius, verberibus
 potius & fustibus præustis adversus
 eam temeritatem & lasciviam compe-
 scendam opus esse, quam verbis, donec
 fateantur, dari supremum Numen, ju-
 stum omnium judicem &c. b) Omni-
 tamen ævo reperti sunt viri sani-
 ores,

ores, qui horum etiam monstrorum portentis refutandis sedulam dederunt operam, vel ut revocarent ad meliorē frugē miserrimum hoc genus hominū, vel ut omni præcaverent studio, ne suo exemplo hi quoquā modo corrumperent alios, neve incautiores speciosa ratione aliqua fallerent. Ut nec diffitear Philosophos gentiles in hoc puncto haud parum jam jam laborasse. Ex quo autem tempore majora cepit incrementa litterarum cultura, majori quoque cura, labore atq; industria per plurimi suum in nobilissima hacce materia exercuerunt ingenium. Quamvis autem diversa inceserint via, variasque sibi elegerint methodos, huic propositioni, *D^eus est*, pro ratione cujuscunque ingenii atq; indolis evincendæ aptissimas; scopus

tamen unus esse omnibus videtur, ut scilicet penitus penitusq; omnis exulare jubeatur a societate hominum impietas Atheistica. In recensendis diversis hinc methodis, quas Philosophis diversorum temporum deprehendi fuisse usitatas, ego paucissimis pagellis, meam constitui collocandam fore opellam, quam Tibi, B. L. qua par est, candida mente commendo, spem fovens, saltem ob argumenti nobilitatem eandem Tibi gratam acceptamque futuram.

a) *De ira Dei c. 9.* b) *Instit. Met. part. spec. C. 2. p. m. 658.*

CAP. I.

De modo vulgari & communiori illa methodo demonstrandi existentiam Dei.

§. I.

UT duplex apud veteres erat do-
A 5
stri;

strina, vulgaris & arcana, quod exemplo quoque Ægyptiorum docet Celeb. Buddeus a); illius vulgus etiam capax fuit; unde & vulgaris appellata; hæc peritiorum erat propria, qui arcana naturæ referare, aliâq; penitus perspicere potuerunt; aliis *acroamatica* dicta: ita *duplicem Atheos convertendi modum suppeditari* notat etiam Spizelius b); *alium* quem vulgus amet, *alium* quem doctiores & philosophi sequantur. Illius rationem *vulgarem* esse docet quoq; Joh. And. Schmidt c); quamobrem & *communior* habetur Clariss. Dn. Hilligero d). Hujus *exactior* est ratio & his vel illis philosophis *propria*.

a) In Hist. phil. c. 3. §. 24. p. m. 28.

b) In Fel. Lit. Comm. 1. p. m. 186.

c) In Theol. Nat. Pos. p. m. 37.

d) Inst. Pneum. part. sp. s. 1. c. 1. §. 2.

p. m. 33.

§. II.

Nobis primum incumbit, ut eas recenseamus rationes, quibus communiter gentiles atque christianos usos accepimus, nec plebejos destitutos existimamus. Quarum Iam notamus eam, quæ ex mundi hujus origine omniumq; rerum productione deduci solet. Nihil enim causa est sui ipsius. Viso ædificio, vel tantum ruderibus animadvertis, homines extitisse colligis, qui extruxerint illud, illicque habitaverint. Intuens universi mundi machinam, quis conditorem extitisse non animadvertet? Jure ergo ita etiam argumentatur Doctissimus Grotius a) : *Res aliquas esse, quæ esse cæperint, sensu ipso & confessione omnium constat: Ex autem res sibi non fuerunt causa ut essent: nam quod non est, agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequam*

epsc

esset. Sequitur igitur, ut aliunde habuerint sui originem: quod non tantum de illis rebus, quas ipsi aut conspiciamus, aut conspeximus fatendum est; sed & de iis, unde ille ortum habent, donec tandem ad aliquam causam perveniamus, que esse nunquam coeperit, queq; sit, ut loqui solemus, non contingenter, sed necessario, a se non ab alio. Hoc autem qualecunq; tandem sit, id ipsum est, quod *Numinis* aut *Dei* voce significatur. Ita ratione nos duci ad existentiam *Numinis*, a quo cetera omnia, quaecunq; extiterunt vel existunt, sunt producta, ceu a causa sua universalis & omnium prima, quis non videt. Non enim processus causarum potest dari in infinitum; absurdum namque hoc est, imo impossibile, quod invictissimis probat argumentis Cl. Christ. Donat⁹ b); sed subsistendum tandem esse
 in

in caussa aliqua prima, quivis sanus facile apprehendit. Ut si e. g. centenarius in ordine speciei humanæ suam retro posset enumerare generationem atq; causam, usque ad primam, hærebit tandem dubius, quo eundem, haud ignarus, effectum non esse posse sine caussa, vel productum sine producente. Nisi forte eo absurditatis prolaberetur, ut circulum vellet commissum in productione rerum ipsisque caussis; ut si velis dicere aut concipere: *Abrahamum genuisse Isaacum, hunc Isaacum genuisse Jacobum, & a Jacobo hoc procreatum esse rursus illum Abrahamum, qui Isaacum genuit*, quo nihil absurdius c). Proprio itaque expertus periculo necessum tandem jam habet fateatur, causas

hæc

hasce, ut esse secundas, ita poten-
 tiis gaudere limitatis, quarum est a-
 gnoscere causam aliquam limitan-
 tem atq; nobiliorem, quæ Deus est d).
 Præclare admodum hac de re cum
 Thoma Aquinate Joh. Syrbius e).
 Invenimus, inquit in sensibilibus esse or-
 dinem causarum efficientium, nec tamen
 invenitur, nec est possibile, quod aliquid
 sit causa efficiens sui ipsius, quia sic es-
 set prius se ipso, quod est impossibile.
 Non autem est possibile, quod in genere
 causarum efficientium procedatur in in-
 finitum: quia in omnibus causis efficien-
 tibus ordinatis primum est causa medii,
 & medium est causa ultimi, sive media
 sint plura, sive unum tantum. Remota
 autem causa, removetur effectus. Ergo
 si non erit primum in causis efficientibus,
 non erit ultimum, nec medium. Sed si
 procedatur in infinitum in causis effici-
 entibus, non erit prima causa efficiens;
 & sic nec erit effectus ultimus, nec causæ
 efficienses media, quod patet esse fal-
 sum

sum. Ergo necesse est, ponere aliquam
causam efficientem primam, quam omnes
DEUM nominant.

a) Lib. 1. de Ver. rel. Christ. §. 2. p. m. 3.

b) in Inst. Pneum. Part. spec. Sect. I. C. III.
p. m. 88. seq. c) Idem p. 86.

d) Conf. Frid. Gentzkenii Syst. Phil. part.
II. C. II. part. gen. p. m. 9.

e) in Inst. Phil. primæ part. 1. Cap. 11.
p. m. 23. seq.

§. III.

Sed dicas forte cum Spinoza a-
liisque ejusdem furturis, Deum
& mundum idem esse, seu mundum
nihil aliud esse, quam Deum ex-
pansum; Deum nihil aliud esse,
quam mundum contractum. Sed
iam habemus tum, quod hac vice
quærimus, quod scilicet Deus sit.
Neq; enim jã quærim⁹ quid sit, sed
quod sit. non de Essentia Dei disputa-
mus,

mus, sed de *existentia*. Quæ vero horum talium erroribus refutandis inserviunt egregie collegerunt & observarunt Doctissimus I'onatus a); & quod ad Spinozam imprimis attinet, Celeb. Fr. Buddeus b), ut reliquos jam silentio præteream.

a) in *Instit. Pneum. C. III. p. m. 104. seq.*

b) in *de Spinozismo ante Spinozam. item Elem. Phil. instr. Tom. II. part. VI. C.V.*

§. IV.

Instas vero cum Leucippo, Democrito, aliisque quibusdam veterum: mundum esse æternum, sine conditore, ex fortuito atomorum concursu ortum. Verum enimvero percontari lubet cum Lactantio: Si ex illis sunt omnia, ipsa igitur unde dicemus, = = quo fœdere ea inter se,
qua

qua mente conveniant, ut ex his aliquid constitutatur? Et quæ plura ab illo affert modo nominatus Donatus a). Ingenuum admodum est, quo hoc Epicuræ mentis delirium castigat magnus Eloquentiæ parens Cicero, cujus hæc allegasse sufficientiant verba: Si, inquit, mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa. Et multo quidem faciliora b) s. Trajanea egregie hos tumos, hæc figmenta cavellit etiam M. R. Archi Episcopus Cantuariensis Joh. Tillotson c). Nos plura ut hanc in rem adducamus, ratio infiniti vetat.

a) p. m. 101. seq. b) L. b. ii. de Nat. Deor. cap. 37. c) in Tractatu lingua primæ Anglicæ edito, qui deinceps per-

*nico translatus idiomate exiit sub t:
tulo: Gründlicher beweiß wieder die
Atheisten p. m. 32. seqq.*

§. V.

Porro II:º existentie Dei argu-
mentum communiter sumi solet ex
totius hujus mundi aptissima dispo-
sitione, & stupendo omnium, eo-
dem etiam in genere, rerum ordine,
singulis ad certos usus finesq; dire-
ctis. Ut si vel machinam hujus u-
niversi in genere, vel corpora cœ-
lestia, eorundemq; motum, in
motu ordinem, constantiam atq;
harmoniam, omniumq; ad suos
fines & effectus conspirationem,
vel corpora terrestria, tum anima-
ta, tum inanimata, eorundemq;
illustrissimam speciem, ordinem
atq; structuram consideraverimus,
nullum horum deprehensum iri e-
xisti-

ximaverim, quod non arguat di-
 citetq; causam sui, ejusdemque
 summam & sapientiam, & poten-
 tiam, & bonitatem: quæ Epicuræ-
 orum coalitioni casuali, h. e. ato-
 mis neutiquam tribui possunt. Ca-
 sus enim fortuitus ordinem con-
 stantissimum, & summæ sapientiæ
 effectum sibi vindicare nequit. A-
 deoq; nullus dubito asserere, quin
 hoc argumentum longe sit invi-
 ditissimum, quo ratio humana lucu-
 lentissime quiescat & sponte conclu-
 dat, necessario dari substantiam a-
 liquam infinitis perfectionibus præ-
 ditam, a qua hic ordo mirandus,
 hæc structura elegantissima rerum
 est producta. Posito namq; ordine,
 ponatur necesse est aliquis ordi-
 nans, qui alius esse nequit, quam
 qui nobis *Deus est*. Hinc etiam Ju-

stinus M. cum interrogaretur, unde ipse suam de Deo hauserit cognitionem? commode respondit: *Ex rerum, quæ extant, constitutione & perseveranti diuturnitate id intelligi: Non enim extarent ea, quæ extant, nisi ante ea Deus extitisset, qui partes creaturæ omnes utiliter ex usu & commodo universæ creaturæ ordinavit a). Pari ratione hinc suam elicit demonstrationem, quod Deus sit, Fr. Svarez, in hunc concludendo modum: Totius universi pulchritudo, omniumq; rerum, quæ in eo sunt, mirabilis connexio & ordo, satis declarant esse unum primum ens, a quo omnia gubernantur & originem ducunt b). Neq; vero omnium rerum in mundo necessaria est lustratio, ad Dei existentiam demonstrandam. Prodit unaquæque*

que res, etiam vilissima, ejusdemq; quælibet pars, tam admirandam artem, ut quæque sola huic probandæ sufficere possit. Quod si vel obiter & perfunctorie mediteris ortum, progressum & conservationem rerum, etiam abjectissimarum & maxime vilium, non poteris non confiteri majorem, ad has constituendas requiri virtutem, quam que in res cadat creatas ullas. Sic intuere in ovi conditionem ac naturam; in eo reperimus ejusmodi positam virtutem, ut inde exire & prosilire possit miranda ossiculorum structura, majorum, minorum, solidiorum, tenuiorum, curvorum, æquorum, &c. Inde exire videatur caro, sanguis, plumæ & membra varia ordinatissime conspirantia. Inde intestina vel interiora viscera, matui, vitæ, ejusq; conservationi inservientia, hæc, quæro cum Rudraufio c) paucis mutatis, hæc a qua proveniunt vel provenire possunt virtute, ubiq; similia & eadem ad eundem finem tendentia? Nonne

ne ab omnium rerū conditore Deo,
qui hæc ita disposuit.

a) in *Qu. Græc. citante Spizelio p.m.187.*

b) *Tom II. Disp. Metaph. disp. XXIX.*

sect. II. c) ex Inst. Met. part. Sp. C. II.

m. 1. p. 668.

§. VI.

Verum nec minor veritas atq;
certitudo existentiae Dei communi-
ter peti sive vit illꝰo ex consideratio-
ne regiminis atq; conservationis hu-
jus universi: quæ non permissiva,
aut indirecta, seu per accidens talis
in Deo est concipienda; qua vel
saltem permetteret rem durare,
quam destruere alioquin posset:
vel qua conservaret eandem, sal-
tem removendo aut prohibendo id,
quod eam alias tolleret: sed *positi-
va*, quæ in positivo influxu in esse
rei consistit: & *directa*, ac per se
ta-

talis, qua rem in esse suo sustentat,
 quemadmodum accuratissime lo-
 quitur sæpe a nobis citatus Cl. Do-
 natus a). Adeo ut ratio nequeat
 non ratiocinari atq; concludere,
 dari aliquod ens infinitum, a quo
 res omnes productæ in sua indole
 & suo ordine regantur ac conser-
 ventur. Quo negato, concinna il-
 la, ordinata & continua rerum o-
 mnium series rationi est insipida;
 quippe quæ hunc ordinem, qua ta-
 lem, ipsi naturæ, nullo existente
 gubernatore atq; curatore, non po-
 test tribuere. Qui cernit navem
 suis instructam ornamentis arma-
 mentisq;, maria fulcantem, quis
 est qui potest sibi persuadere, casu
 eam sic esse ornatam, casuq; in suo
 regi cursu; annon a posteriori ne-
 cessario concludit creditq;, ipsam
 &

& arte, & ratio ē, & industria humana hanc cepisse formam, & in ea esse aliquem, a quo gubernatur. Ita etiam ratio ab hujus mundi officio ejusq; regimine libere concludit ad existentiam substantiæ cujusdam infinitæ, a qua id ipsum & in esse, & in conservari gubernarique dependet. *Nemo est, inquit Lactantius, tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse non intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec possit fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majore aliquo sit instructum b). Est enim mundus schola, ubi discit homo singulis in rebus creatoris sui nomen legere: Est Magister, a quo in Dei cognitione informantur: liber est doctis pariter ac indoctis concessus*

cessus a Deo, ut in paginis elementorum, in voluminibus temporum communis & publica divine institutionis doctrina legeretur. Scala Dei, qua ad Deum ascendimus. Musicum instrumentum tot fidi- bus artificis sui nomen referens, quot res in eo varie conspiciuntur, Echo & vox clarissima divinitatis &c. Ut loquitur Jo. And. Schmidt cum quodam philosopho c).

a) *Inst. Pneum. C. XX. §. 2.* b) *Lib. I. de falsa rel. C. II. cit. Suarez tom. II. disp. Metaph. p. m. 28.* c) *in Theol. Nat. Posit. p. m. 38.*

§. VII.

Instas fortassis Deum non posse videri; At vs. neq; quisquam mortalium, animam suam videre potest, neq; ideo dubitamus de eius existentia. Præclare ergo hac de re Theophilus Antiochenus docet ar-

gumentari gentiles a): κατάπερ ἡ ψυ-
 χλην ἀνθρώπου οὐ βλέπειαι ἀόρατον ἔσαι
 ἀνθρώποις, διά τε τῆς κινήσεως τῆς σώματος
 γινώσκεται ἡ ψυχή. Οὕτως ἔχει ἄν καὶ τὸν
 θεὸν μὴ δύνασθαι ὁραθῆναι ὑπ' ὀφθαλμῶν
 ἀνθρώπων, διά τε τῆς προνοίας καὶ τῶν
 ἔργων αὐτοῦ βλέπειαι καὶ νοεῖται h. e.

*Quemadmodum anima in homine
 non conspicitur, quum sit hominibus
 invisibilis, per motum autem corpo-
 ris intelligitur anima. Ita etiam se-
 res habet, ut Deus non possit cerni
 oculis humanis, per providentiam au-
 tem eius opera eius cernitur et in-
 telligitur: ut prætermittam, quæ
 ad hanc instantiam diluendam plu-
 ra affert Rudraufius b)*

a) ad Autol. L. 1. conf. Danh. Hod. Ph. em.
 IX. p. m. 867. b) inst. met. part. ff.
 C. II. M. I. p. m. 669.

§. VIII.

Restat vero IV:ο vulgaris sive
 com-

communis demonstrandi Dei exist-
 entiam ratio, deprompta ex *homi-
 num tam malorum quam bonorum
 conscientis*. Cum enim conscientia
 nihil sit aliud, quam *notitia legis re-
 flexa*, & nemo sit hominum, qui
 aliquando minimum non senserit
 atq; adverterit *motus* in corde, *ac-
 cusantes* quidem cum quid commi-
 sit mali, semoto etiam omni judi-
 ce; *excusantes* vero atq; *defenden-
 tes* in casibus, ubi nullius mali su-
 mus conscii; hinc non difficile est
 colligere etiam in animis hominum,
 sui notitiam scripsisse Deum, omni-
 um justum judicem. Huc pertinet
 hocce Plutarchi; *Vitiositas ad sin-
 gula peccata, ex sese fabricatur sin-
 gula tormenta a*). Notat id in *Cati-
 lina* Salustius, *cujus*, quod hic com-
 memorat, *animus impurus, Diis ho-*
mi-

minibusq; infestus, neq; vigiliis, neq;
 quietibus sedari poterat; ita consci-
 entia mentem excitam vexabat. Ma-
 la quippe conscientia, etiam in so-
 litudine noxia atq; sollicita est; ut
 dicit Seneca b). Suum quemq; sce-
 lus agitat, amentiaq; afficit. Suae
 mala cogitationes, conscientiaq; ani-
 mi terrent; ut monet Cicero c). Uti
 nec Nero, sceleris, matris caede pa-
 trati, conscientiam, quamquam
 militum, & senatus populiq; gratu-
 lationibus confirmaretur, aut statim,
 aut postea unquam ferre potuit, saepe
 confessus, exagitari se materna spe-
 cie &c. ut auctor est Svetonius d).
 Non enim est tranquillitas mentis,
 ubi animus exagitur obnoxia sti-
 mulis conscientiae e). Unde quoq; e-
 lucet, proscribendam & rejicien-
 dam prorsus esse mancam atq; in

falfam Atheorum rationem, qua,
 ut expedirent fe fuis labyrinthis,
 commenti funt, imperantium pru-
 dentiam & rationem ftatus politi-
 ci, &c. f) nullo prævio vel rationis
 dictamine, vel notitiæ Dei infitæ,
 primum introduxiſſe de Deo opi-
 nionem, eandemq; deinceps pro-
 pagaffe & conſervaffe, ut eo magis
 cives, ſubditosq; ſibi in obſequio
 continerent. Quæ enim inſcitia ra-
 tionis ftatus politici coegit *Caligulam*,
 ut quotieſcunq; cœlum ful-
 mina emiſit, ſub lectum deſerperet:
 an ignorantia modi imperandi a-
 degit *Cardinalem Wolfey*, Conſi-
 liarium regni Anglici, ut caneſcens
 animo perturbato atq; anxio, in
 hæc erumperet verba: *Hätte ich*
ſo viel ſorge gehabt/meinem Gott
zu gefallen/ wie ich mich die gna-
de

de meines Königs Habe zuherben
 geben lassen / so würde er mich
 nicht in meinem alter verlassen
 haben g). h. e. *Si mihi adeo fuisset
 curæ Deo placere, atq; sollicitus fue-
 ram de gratia regis mei, in præsentè
 senectute mea ab ipso desertum & o-
 pe illius destitutum me jam nulla te-
 nus animadverterem. Introductam
 tum demum fuisse religionem,
 cum respublica aliqua constituere-
 tur, nulla ratione, nec annalium
 monumentis probari potest; quin
 potius opinionem de DEO ejusque
 cultu, homines ad civitatem quan-
 dam condendam coeuntes secum
 attulisse, rationi eo magis est con-
 sentaneum, quo minus dubitare
 fas sit, quin omnibus hominibus
 insit illa vis atq; facultas, ut Deum
 etiam citra omnem discursum men-
 tis*

tis, vel traditionis, vel educationis,
 vel aliis cujusquam instituti huma-
 ni operam cognoscant, colendum-
 que agnoscant. Quod etiam a-
 gnovisse Platonem ex his patescit
 verbis *h)*: *Profecto nullus ab ado-*
lescentia usq; ad senectam in hac o-
pinione, quod Dii non sint, perseve-
rarit; qui in antecedentibus gra-
viter reprehendit impietatem, re-
movetq; objectionem, quod opi-
nio divinitatis sit persuasio vana a
matribus & nutricibus orta. Ut er-
go vero consonat hoc Plutarchi i):

ἄλλοις δ' ἂν ἐπιών καὶ πόλεις ἀλιχίστας, ἀ-
 γραμματάς, ἀβασσιλεύτας, ἀοίκας, ἀχημά-
 τας, νομισμάτ' ἢ μὴ δεομένας, ἀπείρους θεά-
 τρων καὶ γυμνασίων· ἀνίους δὲ πόλεως καὶ
 ἀθέκ, καὶ χραμένης εὐχαίς, μηδὲ ὄρκους,
 μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θ' σίαις ἐπ' ἀγαθοῖς,
 μηδὲ ἀπὸ τροπαῖς κακῶν, οὐδέις ἔσω ἔδδ
 ἔσαι γεγωνῶς θεαίης· ἀλλὰ πόλις ἂν μοι δο-
 κῆ

καὶ μᾶλλον ἐδάφους χερσὶς, ἢ πολιτεία τῆς
 περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασιν,
 σίτισσιν λαβεῖν, ἢ λαβῆσα τηρῆσαι.

Hoc est interprete Xylandro: Si
 terras obeas, invenire possis urbes
 muris, litteris, regibus, domibus,
 opibus, nomismate carentes, gymnasi-
 siorum & theatrorum nescias: Ur-
 bem templis diisq; carentem, qua
 precibus,, jure jurando, oraculo non
 utatur, non bonorum causa sacrifi-
 cet, non mala sacris avertere nitatur,
 nemo unquam vidit. Sed facili-
 us urbem cendi sine solo posse puto,
 quam opinione de diis penitus subla-
 ta civitatem coire aut constare. Ita
 in hoc jam subsistimus Ciceronis,
 qui: multi, inquit, de Diis prava
 sentiunt: id enim vitioso more effici
 solet: omnes tamen esse vim & na-
 turam divinam arbitrantur k).

- a) *Bello Cat. p. 28.* b) *Ep. 40. in fin.*
 c) *Orat. pro Roscio Amer.* d) *in vit. Ner. C. 35.*
 e) *conf. Pfan. Syst. Th G. p. m. 275.* f) *conf. Spiz. Fel. Lit. p. m. 140.*
 g) *vid. Joh. Tillotson in tractatu ante citato p. m 54. seq.* h) *p. 665. edit. Lugd. an. 1570. citante Jo. Syrbio p. m. 30.*
 i) *Lib. aduersus Colotem Tom. II. op. fol. 1125.* k) *Lib. I. Tuscul. n. 13.*

CAP. II.

De triplici via scholasticorum.

§. I.

Sic paucis postquam delineauimus, qua ratione communiter solet investigari existentia Summi Numinis, jam ulro ratio ordinis jubet, ut adtendamus ad modos, quos his atq; illis obseruamus Philosophis fuisse in usu. Ubi primum occurrit methodus aduertenda Philosophis Scholasticis propria, qua

qua triplici modo per creaturarum
 contemplationem ascendisse vide-
 mus ad cognitionem Dei acquisi-
 tam, atq; illis *triplex* audit *via: caus-*
salitatis scilicet, *eminentiæ & ne-*
gationis; Alii alio recensent ordine
 has *vias*. nobis arrisit eorum sen-
 tentia, qui per *viam causſalitatis* e-
 licere studuerunt, *quod sit & quid*
ſit; per *viam eminentiæ* atq; perfe-
 ctionis qualis sit; & tandem per
viam negationis removendo, quæ
 de Deo dictu indigna forent. Est
 autem illis *via causſalitatis*, qua ex
 ſuis effectibus, utpote omnipotenti
 creatione, ſapientiſſima ordinatio-
 ne, admiranda conſervatione &
 gubernatione, per *piam contem-*
plationem, *ſeriam meditationem*,
rectamq; ratiocinationem college-
 runt *Deum eſſe*, *auctorem omni-*
 ur.

um, ejusq; admirati sunt potentiam, sapientiam, imperium & majestatem. Sic non solum deducti sunt ad Dei existentiam cognoscendam, quemadmodum cap. præced. a nobis est observatum, sed ad cognoscenda etiam prædicata Dei tum *relativa*, quod sit auctor, creator, rex & dominus totius hujus universi; vel ut Seneca loquitur; *mundani hujus operis artifex, custos atque rector a)*, tum *prædicata* vel *attributa Dei propria*, quod sit sapiens, potens, bonus, justus, &c. Nam non solum rectorem animadvertimus, sed *intelligentem*, qua sciat quomodo & faciendum fuerit, & nunc regendum opus mundanum: *intelligentem autem omnia*, ut omnium curam habere possit, & ordinationem instituire per universum.

Justum, qui iuste regat, & remunerando bona, & puniendo mala; hoc enim est Regis & Domini, ut tueatur bonos, cœerceat vero malos &c. Atq; sic ordine fluunt, & iusta illatione naturali plurima inferuntur prædicata divina tum relativa, tum absoluta, ut recte argumentatur etiam Rudraufius b).

a) *L' b III. Nat. qu. c. 45.* b) *inst. Met. p. 5p. C. II. m. I. §. 3. p. m. 685.*

§. II.

Altera deinde via est illis eminentiæ, qua Deum cognitum voluerunt vendicando ei perfectiones in creaturis animadversas longe eminentiori modo, quam in istis sunt. De hac ipsa via ita disquirat cum Thoma Aquinate Jo. Syrbius a): invenitur, inquit, in rebus aliquid
ma-

magis & minus bonum, & verum,
 & nobile; & sic de aliis hujusmodi.
 Sed magis & minus dicuntur de di-
 versis, secundum quia appropinquant
 diversimode ad aliquid, quod ma-
 xime est: sic ut magis calidum est,
 quod magis appropinquat maxime
 calido. Est igitur aliquid, quod est
 verissimum, & optimum, & nobis-
 simum; & per consequens maxi-
 me ens. Nam quae sunt maxime ve-
 ra, sunt maxime entia, ut dicitur se-
 cundo metaph. Quod autem dicitur
 maxime tale in aliquo genere, est
 causa omnium, quae sunt illius gene-
 ris, sicut ignis, qui est maxime cali-
 dus, est causa omnium calidorum,
 ut in eodem libro dicitur. Ergo est
 aliquid, quod omnibus entibus est
 causa esse, & bonitatis, & cujuslibet
 perfectionis: & hoc dicimus De-
 um.

um. Non equidem est negandum, dari aliud alio minus magisq; perfectum, pro eo ac qualitatis illius, a qua denominatio petitur, plus minusve sit particeps, ut loquitur Cl. Hebenstreitius *b*). Hoc facileprehendimus, si vel entium proprietates physicas consideraverimus: e. g. & plantæ, & bruta, & homines, & angeli gaudent hac proprietate, quod vivant; illæ vitam duntaxat vegetativam, ista etiam sensitivam, posteriores duo insinul rationalem, salva analogia, quæ inter angelos & homines intercedit. Hæc omnia nullus non videt, utut in suo genere vivant perfecte, partim esse vel initium & finem habentia, vel originem sui agnoscentia, sine carentia. Adeoq; esse entia finita, quorum est aliud ens a se producere

re non posse. Hinc altius est ascendendum ad Deum, ens illud infinitum, æternum, quod hac proprietate, quod vivat, vitam scilicet omnium vividissimam, vivacissimam, etiamnum gaudeat; nec tantum eo gradu, quo creaturæ, sed ita, ut nullum agnoscat superiorem, nullo terminetur defectu, omni careat fine. Nec enim par parem potest producere; minime quod minus præstans est, majus præstanti vitam largiri; sed necessum est, ut id, quod alius existentiam possit dare, sit omnium perfectissimum, perfectione ad omnes partes absoluta, essentiali, necessaria & simpliciter simplici: Et hoc est, quod Deum nominamus, seu naturam illam, quæ omnium parens est.

a) *in Inst. Phil. primæ, Part. I. C. II. p. m. 26.*

b) *in*

§. III.

Porro cum duo potissimum sint naturarum genera, intelligentes & corporeæ, utrarumq; proprietates in Deo facile deprehendimus. Illarum nemo nescit esse, ut intelligent, velint, sentiant, recordentur, &c. quæ certe sunt intelligentium proprietates, sive facultates physicae: in creaturis vero non sine defectibus, sed quæ defectibus finiuntur; in DEO autem sine omni defectu, h. e. infinitæ, perfectissimæ. e. g. homo percipit naturam rerum sed cum errore, non solum earum, quarum sensu destituitur, sed etiam sæpissime, quarum naturæ, sensuum opera ipsi obversantur; Deus autem
omnia

omnia uno intuitu simplicissime
 intelligit, & singula habet sibi
γυναικα καὶ τὴν ἀρχαίαν ἑαυτά : homo vult,
 sed tanto heic laborans nexo, ut
 nonnunquam malum pro bono ap-
 petat, consiliumq; sæpius in arena
 capiat; Deus vero quodcumq; vult
 constantissime vult. Homo sentit,
 sed tactus vel adfectus a creaturis,
 quæ DEum minime tangunt vel
 adficiunt. Homo recordatur, sed
 cum labore, & revocatione earum,
 quæ antea cogitaverat; Deo vero
 omnia atq; singula, maxima & mi-
 nima, absq; ullo labore ac molestia
 sunt simul præsentia; Adeoq; libe-
 randus ab omnibus imperfectioni-
 bus, & cuiuscunq; perfectionis, in
 gradu eminentissimo, capax agno-
 scendus. His iterum propria est ex-
 tensio, quæ, si simul sumatur, tan-

ræ certe est molis, ut vix, ac ne vix
 quidem mente illam assequi quea-
 mus. Ut ut vero sit limitibus fere
 carens, atq; immensa, partibus ta-
 men est distincta; quarum nulla
 se ipsam movet, sed vel ab alio ta-
 cta movetur, vel se invicem alia
 parte in aliam impingente, utraq;
 moventur: sic quoq; Deus est su-
 pra omnia se extendens & immen-
 sus, & quidem eum in modum, ut
 nullis partibus sit distinctus, sed ut
 in omni parte totus sit præsens,
 corporaq; pro lubitu moveat, ipse
 abs nullo moveatur.

*Cfr. Job. Clerici Ontol Capp. XVI & XVII
 & Pneum. Sect. III. ubi agit de Deo.*

§. IV.

Quod ad morales spectat pro-
 prietates, quæ virtutum vel perfe-
 ctio.

tionum nomine potius nobis ve-
 niunt, in aprico est in hominibus
 deprehendi sapientiam, justitiam,
 &c. quæ in collatione speciei cum
 specie si considerantur, certe ani-
 madvertim⁹ has in uno homine ma-
 jores atq; eminentiores esse altero;
 non tamen ita, ut vel ipse, qui has
 easdem virtutes in genere suo e-
 minentissime possidet, possit dici
 absolute, & ad omnes partes per-
 fecte sapiens aut justus. Etenim
 quanta quanta est harum virtutum
 in hominibus cultura, tanta tamen
 non est, ut omnes excludat nævos,
 sed variis laboret defectibus: ut vel
 sapientissimi mortalium, Salomo-
 nis sapientia non possit non suos a-
 gnoscere limites, multis ab eo non
 intellectis: vel justissimi Aristidis ju-
 stitia tanta, ut nunquam erraverit.

Quoq;

Quorum defectuum prorsus est immunis illa natura, quæ hominem tot tantarumq; virtutum condidit capacem: ipsa easdem secundum idem nomen, & eandem rationem seu conceptum formalem possidens perfectiones, salva temper manente analogia, quæ licet inter & hominem, creatorem & creaturam intercedit. Ut vel talpa esset coecior, qui hinc non videret has, quas tetigimus, & harum similes, virtutes in Deo deprehendi gradu eminentissimo; quippe qui has non obtinuit *ab inferiori, nec a superiori, nec a pari*, ut loquitur Hebenstreitius a); sed a se ipso, adeoq; nunquam non potis est easdem absque ullo navo exercere; omnia uno intuitu intelligens, singulis justissime quæcunque tribuens, mala vindicans

cans, bona remunerans. Atq; ex
 hac graduum differentia certo po-
 test colligi ad summum illud Ens, in
 quo omnes atq; singulæ creatura-
 rum perfectiones eminentissime col-
 limant; & hoc est quod Deum di-
 cimus.

*a) in Theol. Nat. Exercit. V. de existentia
 Dei p. m. 211. Conf. etiam Rudr. Inst.
 Met. p. m. 685.*

§. V.

Tertia est *Via Negationis*, qua
 cognitum voluerunt Deum, remo-
 vendo ab ipso omne imperfectum
 & indignum. Qua via calcata sta-
 tim prodeunt attributa negativa,
 & cognoscitur esse *incorruptibilis,*
immutabilis, &c. Cum ratione cer-
 re omnis esset delirans, qui crea-
 turas, si vel præstantissimam earum
 con-

consideremus, hominem scilicet, non agnoscat variis laborare imperfectionibus, ceu in antecedentibus quadantenus a nobis jam jam est observatum. Nemo enim horum non deprehenditur mortalis, mutabilis, &c. quæ ejusmodi sunt proprietates, quæ Enti dependenti & causam suam agnoscenti, sunt propriissimæ, & a seipso, ut loquuntur Scholastici, maxime incongruæ. Non est autem ut ex scholis philosophorum quæramus demonstrationem mortalitatis hominis, quum fores penatum indices hoc ipsum etiam testentur, aliter se habente re cum Deo, qui omnis extensionis est expers, essentia spirituali omnium purissima in se, a se, & per se subsistens, adeoque immortalis; immortalitate ab-

soluta, qui ut ab æterno erat, ita in æternum est mansurus. Nec enim repugnat, ut is, qui a se ipso est, sit etiam sibi semper sufficiens, & nulli vicissitudini obnoxius, cui subiectus est homo, saltim qua materiam, ex qua partim constat, quippe quæ ut est contingens, ita realitate per se destituta, adeoque mortalis.

§. VI.

Mutabilitatis hominem arguit & ipsius natura, & decreta. Illius namque respectu homo ejus est conditionis, ut qualis initio esse incipit, ætatem non sit, sed ut organa corporis ipsius pedetentim accrescant, proprietates atq; virtutes adauctæ, variis de causis sæpius decrescant, & prorsus fere inter-

terdum evanescant. Inconstantiam itidem decretorum suorum haud raro prodit, ut quod jam elegit, mox idem rejiciat; quod semel decrevit sese facturum exsecuturumq; , mox idem spernat atque omittat, nec non varios experiatur casus fortuitos. Quæ secus in Deoprehendimus, quippe qui ut simplicissima est naturæ, & omnis omnino compositionis expers, ita nonquam accrevit, nec accrescet, nec decrevit, nec decreset, nec ullam mutationem sentit suarum proprietatum, sed quæcunq; habet, habiturus est ad mille milenas annorum myriadas. Quod ad consilia & decreta pertinet divina, eadem etiam constantissima & minime mutabilia certi statuimus; nec enim quidquam ipsi accidit

cidit, nec ab illo quidquam fit, quod provisum non fuerit.

§. VII.

Sed vellet quispiam Deum hinc arguere mutabilitatis, quod ab æterno statuit mundum creare, & in tempore id ipsum tandem est exsequutus: ut & mutationes tēpestatum, omniumq; fere sublunarium rerum varias esse voluit. Illi respondemus distinguendo inter mutationem subitanam, quando aliquid fit improvise; ut quum peregrinans inopinato casu aliorum pervenit, quam animo destinaverat; & inter mutationem animo jam antea conceptam perspectamque, quam eadem eveniat. Illa creaturis est propria, & Deo indigna; hæc creatorem non dedecet. Nam licet actio creationis non sit coæ-

terna decreto creationis, nihil tamen detrahit immutabilitati Divinae, quum creatio in tempore sit duntaxat executio liberrimi decreti æterni. Similiter quoq; mutationes tempestatum, aliarumque rerum sublunarium semper fiunt juxta leges his ipsis a creatore semel latas, adeoq; liberrimum ordinatorem nullius arguunt mutabilitatis. Atq; ita removendo a Deo has quas tetigimus, ceterasq; imperfectiones, in creaturis nunquam non animadvertas, luculentissime ascendimus ad ipsam illam naturam, quæ omnium est productor, causa & fons, quamq; Deum dicimus.

conf. Job. Clerici Pneum. Sect. III.

Adis Rud. Inst. M. p. m. 684.

§. VIII.

Sed priusquam coronidem huic

particulæ nostræ imponimus disser-
 tationis, observatum volumus haf-
 ce Scholasticorum vias collective
 esse sumendas. alias *eminentiæ &*
negationis, quatenus a cauffalitatibus
 via distinguuntur, nihil fere viden-
 tur probare de Deo. Nam quod ad
 priorem, etsi certam perfectionem,
 quam in creaturis agnoscimus,
 pluribus adaugeamus gradibus, ut
 eam eminentissime Deo tribuamus,
 unde tamen sciamus exinde sequi,
 perfectionem illam adauctam dari
 in aliquo, nempe in Deo, nisi id
 per viam cauffæ consequamur, ex-
 inde edocti debere cauffam primã
 dari multo eminentioribus, imo e-
 minentissimis perfectionibus re ipsa
 præditam, præ cauffatis, in quibus
 eadem perfectiones suo modo de-
 prehendantur. Idem etiam de

via negationis ferri potest iudicium.
Sed hæc pro ratione Instituti jam
sufficiant; aliorum Methodos alia
vice V.D. examinabimus; hisce
ergo nunc dicemus.

Soli DEO Gloria.



In

Egregiam Dissertationem
De Variis Existentiis DEI
Demonstrandi modis

Politissimi Doctissimiq; Viri Juvenis,
Dn. ISACI PELDAN,
Amici Honoratissimi,

πρὸς Φωτισίαν.

Cœlica cur sancto privantur Numina
cultu?

Invenies paucos, queis libet esse piis.

Natura leges, divini ac dogmata verbi

Confringit technis turba dolosa suis.

Hinc multæ sectæ surgunt, hinc pugna sopho-
rum,

Totum quos ædum conciliare nequit.

Improbis eterni contemptor Numinis Hobbes

Frontis perfrictæ scilicet esse putat.

Nam dubius mentis Spinozæ factus Achates,

Fædo blasphemi pendet ab ore viri.

Namq; hi sunt homines, atque quiq; esse fe-
runtur,

Bombastus pariter, Poggius & Verulam.

Nec non Cardanus, de Dinant, Uriel, atq;

Edvardus, Limborch, Puccius, atq; alii.

GENA

Gens infesta Deo, stygiis furialibus acta,
Quae, nisi mundum ipsum, nil retur esse
Deum.

Hos, dum, TU, PELDAN, docta perstringis
avena,

Affidue studiis Te invigilasse patet.

Multos namq; modos de Numine rite colendo
Atq; doces verum Te coluisse Deum.

Æmulus haud pridem Sale fidusq; sodalis,
Æmulus es Pythii nunc comes atq; chori.

Et cœptam Sale telam mox perficit, ecce,
Fennica nata Jovis, nempe Minerva tibi.

Ac egomet Sale jam per duo lustra moratus
Ad Auram redii, vel patriosq; Lares.

Nunc ubi concedat Deus ac det prospera cun-
cta,

Pacemq; aeternam, Castaliisq; bonam!

Quod superest, voveo, PELDAN, Tibi præ-
mia larga,

Quae meruit virtus, contiguusq; labor!

αυτοχειρας scripta

à

o o

JOH. M. GRAA.

Wälment Lyck. Önskan

Til

Herren Auctoren och Respondenten,

Herr ISAAC PELDAN,

Da han sitt första lärdoms profi liu-
set framgaf.



Uckligt alt tusendfalt Er i dag
til behag
mätte hända och lända/
Da I Ehr skrift och bedrift / som är lård
beröm wård /
ha'n of ämnat och lämnat:
Kunnen och wäl then med skial efter rätt
på alt säte
utan fara förswara.
Ther til jag ber/at Gud Er med sin nåd/
så i däd
ther at wärcl'a må stärcka/
När Han Er gång utan twång haswer
bögdt nu och högdt
til Catheder med heder /
Alt

At J fän snart uppenbart mera glants
af en krants/
som af Lager är fager.

Betygar således sin
skyldighet
JOH. HOFFREEN.
Ostro - Bothn.

Auctori atq; Respondenti
Eruditissimo,
Dn. ISAACO PELDAN,
Præceptori suo Carissimo.

Hocce Tuum Specimen pulcrum, Præcep-
tor amande,
Pulcrius Aonides te coluisse docet:
Quis, precor, in cœptis maneant te prospe-
ra fata,
Illeq; qui potis est, præmia larga ferat.

*In signum officii debiti, lan-
guida licet manu, gratu-
labundus scripsit*
H. E. FLEEGE.
Austro-Finlandus.